



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 229. Vtrum potentiæ tùm organicæ, tùm inorganicæ distingnantur ab anima, & conuenientèr explicentur quæ ad illas pertinent?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

non est indifferens ad hoc, vt sit in toto corpore animalis, vel in singulis eius partibus; nam non potest esse in solo oculo, in solo pede, &c. ergo anima animalium præsertim perfectorum non est per se, neque per accidens diuisibilis in partes quantitativas, sed est quantitativè indiuisibilis. Sed de indiuisibilitate animæ rationalis, & animæ brutorum, perfectorum ex professo egi quæst. 8. de anima, vbi etiam dixi animas inferiorum esse diuisibiles in partes non actuales, sed solum potentiales.

12. Secunda diuisio, ac diuisibilitas est in partes metaphysicas essentiæ, ac definitionis, puta in genus, & differentiam, vel in partes physicas essentiæ, puta in materiam, & formam. In hoc sensu anima non est totum physicum, cum non componatur ex materia, & forma, vt dictum est quæst. 224. sed est totum metaphysicum, & est tota in toto, & tota in qualibet parte corporis totalitate essentiæ, & perfectionis essentialis.

13. Tertia diuisio, & diuisibilitas est in partes virtutis. In hoc sensu anima rationalis est totum continens plures virtutes, & potentias videndi, audiendi, odorandi, &c. ac tota anima secundum omnes suas virtutes est in toto corpore, secundum autem vnã virtutem organicam est in vna parte corporis, secundum aliam in alia. Nam virtus, seu potentia videndi est in oculo, virtus, & potentia audiendi est in aure. Virtutes autem, & potentia inorganica nimirum intellectus, & voluntas recipiuntur immediatè in sola anima, ac in nulla corporis parte.

QVAESTIO CCXXIX.

Vtrum potentia tum organica, tum inorganica distinguantur ab anima, & conuenienter explicentur quæ ad illas pertinent?

S. Tho. quæst. 77. artic. 1-2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

1. **P**ostquam Sanctus Thomas quæst. 75. & 76. egit de ijs, quæ spectant ad essentiam, incorruptibilitatem, & differentiam animæ humanæ ab Angelis, nec non de ijs, quæ spectant ad vnionem animæ cum corpore, descendit ad agendum de potentijs animæ, ac quæst. 77. agit de potentijs animæ in genere, quæst. 78., & sequentibus vsque ad 84. agit in particulari de singulis potentijs.

2. Articulo igitur primo quæst. 78. quærit, vtrum essentia animæ sit eius potentia, vel potius potentia distinguantur ab anima essentia?

Respondet impossibile esse, quod essentia animæ sit eius potentia. Probat primò: nam quandoquidem potentia, & actus diui-

dunt ens, & quodlibet genus entis, actus, & potentia debent esse eiusdem generis, ita vt actui cuiuslibet generis correspondeat potentia eiusdem generis, & è conuerso, puta actui substantiali correspondeat potentia substantialis, actui accidentali correspondeat potentia accidentalis, actui de genere qualitatis correspondeat potentia de genere qualitatis; sed actus vitales animæ, puta actus intelligendi, volendi, sentiendi, &c. non sunt de genere substantiæ, sed de genere accidentis; ergo debet illis correspondere propria potentia, quæ non sit de genere substantiæ, sed de genere accidentis, ac proindè quæ distinguatur ab anima substantia. Quia verò proprium Dei est, vt operatio vitalis intelligendi, & volendi sit ipsa Dei essentia, & substantia. Proportionaliter quia repugnat, vt operatio vitalis creaturæ sit ipsa essentia, & substantia creaturæ, repugnat, vt potentia vitalis creaturæ sit ipsa essentia, & substantia creaturæ.

3. Probat secundo: nam actus in quantum actus præsertim vltimus in suo genere secundum se non est in potentia ad alium actum, præsertim inferioris generis; sed anima est actus substantialis, & quidem vltimus in genere substantiæ, & est vltimus terminus generationis: ergo secundum se non est in potentia ad habendos, vel non habendos actus vitales; sed anima est in potentia ad habendos, vel non habendos suos actus vitales, siquidem non semper illos habet: ergo constituitur in potentia per potentiam accidentalem distinctam, ac licet secundum se sit actus substantialis vltimus, tamen in quantum substat potentia accidentali, dicitur actus primus ordinatus ad vltiorem actum accidentalem. Vtraque ratio desumitur ex principijs valdè abstractis, ac metaphysicis, ideoque ego quæst. 11. de anima conatus fui probare conclusionem à posteriori, & à priori ex ratione fundata in inductione.

4. Articulo secundo quærit, vtrum sint plures potentia animæ.

Respondet affirmatiuè. Probat primò: nam ex Aristotele 2. de celo tex. 66. quatuor sunt gradus, seu ordines entium. Primus, & infimus est eorum, quæ non possunt consequi perfectum bonum, sed solum imperfectum. Secundus est eorum, quæ possunt consequi bonum perfectum, sed ad illud consequendum indigent multis operationibus, & motibus. Tertius est eorum, quæ ad consequendum perfectum bonum indigent paucis operationibus, & motibus. Quartus, & supremus est eorum, quæ ad perfectum bonum consequendum nullo indigent motu. Explicat exemplo sanitatis. Nam in infimo gradu sunt, qui non possunt consequi perfectam sanitatem, sed solum imperfectam, ad quam obtinendam paucis indigent remedijs. In secundo gradu sunt, qui ita possunt consequi sanitatem perfectam,

vt

vt ad eam consequendam multis indigeant remedijs. In tertio, & perfectiori gradu sunt, qui possunt paucis remedijs consequi perfectam sanitatem. Quartus, & perfectissimus gradus est eorum, qui sine vilo remedio sunt perfecti sani. Applicando hanc doctrinam, affertur prima ratio, propter quam anima rationalis indigeat multis potentijs, & operationibus. Nam perfectum bonum est beatitudo, ad quam res quatuor modis possunt se habere, ex quibus desumuntur quatuor gradus, siue ordines entium. Primus, & infimus est eorum, quæ carent intellectu, & sunt inferiora homine, ac proinde non possunt consequi beatitudinem, quæ est bonum perfectum, sed bonum aliquod imperfectum possunt consequi paucis operationibus, motibus, & potentijs. Secundum gradum tenet homo, qui cum habeat intellectum, potest consequi perfectum bonum, hoc est beatitudinem consistentem in contemplatione primæ veritatis, sed quia habet intellectum imperfectum, & indigentem adminiculo sensuum, ad consequendum hoc perfectum bonum indiget multis operationibus, & potentijs, non solum spiritualibus, sed materialibus, sensitivis, & corporeis. Tertius gradus est Angelorum, qui quia habent intellectum perfectum, & non indigent adminiculo sensuum, possunt consequi perfectum bonum contemplationis paucis operationibus, & potentijs purè spiritualibus. Quartum, & perfectissimum gradum constituit Deus, qui ad consequendum perfectissimum bonum summæ beatitudinis, nulla indiget operatione, & potentia distincta à sua essentia, sed ipsemet est sua beatitudo. Patet ergo, quare anima rationalis debeat habere multas potentias, & plures, quam Angeli.

5. Secunda ratio est. Anima rationalis cum sit intellectiva, & sit simul forma corporis, est in confinio rerum corporalium, & spiritualium, ac proinde indiget potentijs spiritualibus, & materialibus, intellectu nimirum, & voluntate, in quibus conuenit cum Angelis, potentijs sensitivis, in quibus conuenit cum brutis, ac potentijs vegetatiuis, in quibus conuenit cum plantis.

6. Articulo tertio quærit, vtrum potentiæ distinguantur per actus, & obiecta?

Respondet affirmatiuè. Probat, & explicatur. Nam licet res specificentur, hoc est constituantur in specie, & distinguantur ab alijs rebus per sua prædicata intrinseca, & essentialia, tamen cum secundum suam essentiam ita commensurantur, & adaptantur alicui extrinseco, vt non possint definiri, nisi per illud, tanquam per mensuram, & regulam priorem, dicuntur extrinsece specificari, ac distingui per illud; sed potentia vt potentia ita ordinatur ad suos actus, vt secundum essentiam commensuretur illis, ac non possit definiri, nisi in ordine ad illos: ex: gr. potentia videndi ita ordinatur ad actus videndi, vt secundum suam essentiam commensuretur il-

lis, ac non possit definiri, nisi in ordine ad actus videndi, idemque dic de alijs potentijs: ergo potentiæ specificantur, ac diuersificantur extrinsece per suos actus. Proportionaliter actus potentiarum passiuarum ita ordinantur ad obiecta, tanquam ad principia, & causas mouentes, actus autem potentiarum actiuarum ita ordinantur ad obiecta, tanquam ad fines, & terminos, vt secundum suam essentiam commensurentur suis obiectis, ac debeant definiri in ordine ad obiecta: ex: gr. visio debet definiri per ordinem ad obiectum visibile, nimirum ad colorem, & lucem, auditio debet definiri, in ordine ad sonum, & essentia actus intelligitur vt commensurata suo obiecto: ergo actus specificantur, & diuersificantur extrinsece per sua obiecta: ergo cum potentiæ constituantur, & diuersificentur in ordine ad actus, qui actus constituantur, & diuersificentur in ordine ad obiecta, à primo ad vltimum potentiæ constituantur, & diuersificantur in ordine ad actus, & obiecta, ideoque ad actus attingentes obiectum sub diuersa ratione formali, & per modos tenendi diuersos, requiruntur diuersæ potentiæ vt nos diximus quæst. 11. de anima. Videri etiam possunt, quæ de specificatiuis potentiarum, & actuum dixi quæst. 3. logicæ, ac de distinctione intellectus, & voluntatis Angelorum inter se, & ab eorum natura, & essentia dixi quæst. 148. & 165.

7. Articulo quarto quærit, vtrum in potentijs animæ sit ordo?

Respondet affirmatiuè. Probat: nam anima est vna, potentiæ autem sunt plures: sed præsertim in naturalibus ab vno ad multitudinem proceditur quodam ordine: ergo ab anima ad potentias proceditur quodam ordine, ac proinde potentiæ ordinantur quodam ordine.

8. Addit inter potentias considerari posse triplicem ordinem, duos consistentes in independentia vnius potentiæ ab altera, tertium, qui consistit in ordine obiectorum.

Primus ergo ordo potentiarum est, per quem vna potentia est prior altera ordine nature, in quantum est perfectior altera, siquidem perfecta secundum naturam sunt priora imperfectis. Hoc ordine naturali perfectionis potentiæ intellectiuæ sunt priores sensitivis, ideoque dirigunt sensitivas, ipsque imperant. Proportionaliter potentiæ sensitivæ sunt priores potentijs nutritiuis, alijsque potentijs vegetatiuis.

9. Secundus ordo potentiarum est, per quem potentiæ imperfectiores, earumque actus ordine generationis, ac temporis præcedunt perfectiores, siquidem natura ex imperfectis procedit ad perfecta. Hoc ordine potentiæ nutritivæ sunt priores in via generationis potentijs sensitivis, ideoque prius infans generatus in vtero matris nutritur, quam sentiat, & per nutritionem corpus præparatur ad sentiendum. Proportionaliter potentiæ sensitiuæ

P p p p t i u æ

tiua sunt priores intellectiuis, ac prius infans sentit, quam intelligat, & discurrat, & per sensationem preparatur ad intelligendum, & discurrendum.

10. Tertio quædam potentia sensitiva, nimirum visus, auditus, & odoratus ordinantur ordine obiectorum. Nam obiectum visibile, nimirum lux, & color, est prius obiectis cæterorum sensuum, cum sit commune corporibus superioribus, ac cælestibus, & inferioribus, ac elementaribus: sonus, qui est obiectum auditus, cum fiat in elemento aeris, est prior odore, qui sequitur ex commistione elementorum.

11. Articulo quinto quærit, vtrum omnes potentia animæ sint in anima, tanquam in subiecto?

Respondet potentias inorganicas, nimirum intellectum, & voluntatem recipi in sola anima, tanquam in subiecto, potentias autem organicas non recipi in sola anima, sed in coniuncto ex anima, & organo corporeo, puta visio recipitur in oculo animato, seu in coniuncto ex oculo, & anima. Ratio est, quia illud est subiectum potentia operatiua, quod per illam constituitur potens operari, siquidem accidens denominat proprium subiectum; & quia idem est, quod potest operari, ac quod operatur, ideo potentia est in subiecto, quod per illam operatur, vt etiam docet Aristoteles lib. de Somno, & vigilia cap. 1. sed actus inorganicos intelligendi, & volendi exercet sola anima, vt dictum est quæst. 223. num. 9. & 10. actus autem organicos sentiendi, videndi, &c. non exercet sola anima, sed coniunctum ex anima, & organo, pura actum videndi exercet oculus animatus, seu coniunctum ex anima, & oculo: ergo.

12. Opponitur Augustinus, qui lib. 12. de genes. ad litt. cap. 19. & 20. dicit, quod anima quædam sentit non per corpus, imò sine corpore, vt est timor, & huiusmodi: quædam verò sentit per corpus.

Respondet primò Sanctus Thomas, quod in multis, quæ ad philosophiam, pertinent, Augustinus vtitur opinionibus Platonis, non asserendo, sed recitando; sed Plato opinatus est, quod sentire est operatio animæ propria, sicut, & intelligere, vt dictum est quæst. 223. num. 7. ergo non est mirum, quod Augustinus etiam verbis citatis locutus fuerit iuxta opinionem Platonis.

Respondet secundo, quod dupliciter potest intelligi, quod anima quædam sentit sine corpore: primò vt significatur, quod quædam sentit sine corpore, ita vt corpus, & organum corporeum non sint partiale principium sentiendi, & in hoc sensu falsum est, quod anima quædam sentiat sine corpore, siquidem omnes sensationes elicit per organum corporeum. Secundus est, quod ex parte obiecti sentiat quædam, quæ non sunt in corpore, sed solum in imaginatione, vel apprehensione, & in hoc sensu non solum po-

test anima sentire, & tristari de ijs, quæ sunt in corpore, sicut cum sentit vulnus, ac de eo tristatur, sed etiam potest tristari de ijs, quæ solum apprehendit, vt cum mater tristatur de morte filij, quem solum audiuit esse mortuum.

13. Articulo sexto quærit, vtrum potentia animæ emanent, & fluant ab eius essentia?

Respondet affirmatiuè. Probatur: nam propria accidentia, hoc est proprietates rei emanant à substantia, siue essentia, & natura rei, per formam substantialem, eo pacto, quo lux emanat à Sole per formam substantialem Solis, calor emanat ab igne per formam substantialem ignis: sed potentia sunt proprietates, & accidentia propria animatorum: ergo emanant ab ipsa substantia animatorum, per formam substantialem, hoc est per animam, per quam constituuntur. Confirmatur: nam cum forma substantialis sit primus actus, & det materiæ primum esse, ac esse simpliciter, est principium, ex quo emanant proprietates, & accidentia propria, quæ sunt actus secundi, ac supponunt subiectum, esse simpliciter in actu, illique dant solum esse secundum quid, puta esse tale, vel tantum, &c. Diximus proprietates, & accidentia propria emanare à subiecto per formam substantialem: nam accidentia extranea producuntur in subiecto ab agente extrinseco: ex gr. quia frigus est accidens proprium aquæ, emanat à forma substantiali aquæ; calor quia est accidens extraneum aquæ, non emanat ab aqua, neque ab eius forma substantiali, sed producitur in aqua ab agente extrinseco, puta ab igne.

14. Addo, quod duplex est efficientia, alia per modum emanationis, siue resultantiæ, alia per modum transmutationis. Efficientia per modum emanationis est, quæ non supponit per se subiectum priuatum formæ, ac proinde per se non transmutat subiectum proximum ad formam, vel à contrario ad contrarium. Hoc pacto lux Solis emanat à Sole, potentia animæ emanant ab anima, & propriae passionis emanant à subiecto proprio, vt docet Sanctus Thomas hac quæst. 78. artic. 6. ad 3. Nam non supponunt per se proprium subiectum sub priuatione. Efficientia per modum transmutationis est, quæ per se supponit subiectum sub priuatione, vt calefactio aquæ, & omnes actiones procedentes à contrario in contrarium.

15. Infertur primò, quod ab anima rationali emanant non solum potentia inorganica, quæ recipiuntur in sola anima, sed etiam organica, quæ recipiuntur in composito ex anima, & corpore. Forma enim substantialis est principium, à quo emanant etiam proprietates totius compositi.

16. Infertur secundo animam esse causam tum materialem, siue subiectiuam, tum efficientem, & actiuam, tum finalem potentiarum. Est causa materialis, quia est subiectum adæquatum potentiarum inorganica-

rum,

rum, & est subiectum partiale potentiarum organicarum. Est causa efficiens, ex qua potentia emanant: & est causa finalis: nam potentia ordinantur ad animam, tanquam ad finem sui.

17. Articulo septimo quærit, vtrum vna potentia animæ oriatur ab alia?

Respondet affirmatiuè. Ratio est, quia emanationes naturales sunt ordinatæ: ergo ex essentia, & forma substantiali fluit immediatè prima passio, ex prima passioe secunda, & sic de alijs, eo pacto, quo lux procedit immediatè à Sole, calor autem mediante luce: ergo ex anima procedit immediatè intellectus, voluntas procedit medio intellectu. Ad do potentias organicas, & sensitivas procedere ab anima rationali, medijs potentijs inorganicis, vt docet Sanctus Thomas artic. 7. quæst. 78. dicens: *Sensus est quædam deficiens participatio intellectus. Vnde secundum naturalem originem quodammodo est ab intellectu, sicut imperfectum à perfecto.* Quia tamen prius sentimus, quam intelligimus, & per motus sensitivos disponimur ad intelligendum, virtutes, & potentia sensitiva concipiuntur à nobis, vt disponentes ad potentiam intelligendi, ideoque ratione nostra potentia sensitiva sunt quodammodo priores intellectu, vt insinuat Sanctus Thomas hoc articulo septimo.

18. Articulo octauo quærit, vtrum omnes potentia animæ remaneant in anima separata à corpore?

Respondet remanere solum potentias inorganicas, & earum actus, potentias autem organicas, & earum actus non remanere. Ratio est, quia potentia inorganica sunt accidentia solius animæ, in eaque sola recipiuntur vt in subiecto adæquato; ergo remanente anima, remanent, ac suos actus exercent, adeoque anima separata retinet intellectum, & voluntatem, ac potest exercere actus intelligendi, & volendi. At potentia organica sunt accidentia non solius animæ, sed compositi ex anima, & organo corporali, in eoque composito recipiuntur, & per organum corporeum exercent suos actus, eo pacto, quo actus videndi exercemus per oculum, actus audiendi per aurem; sed destructo subiecto, non possunt remanere accidentia recepta in tali subiecto: ergo destructo composito, non possunt in anima separata remanere potentia organica, ac proinde anima separata non potest exercere actus videndi sine oculis, audiendi sine auribus &c. Concludit Sanctus Thomas. *Et sic falsum est, quod quidam dicunt, huiusmodi potentias in anima remanere, etiam corpore corrupto: & multò falsius est, quod dicunt etiam actus harum potentiarum remanere in anima separata, quia talium potentiarum nulla est actio, nisi per organum corporeum.* Concedit tamen Sanctus Thomas, quod licet non remaneant actus, remanent tamen virtute in anima, sicut in principio, vel radice.

QVAESTIO CCXXX.

Vtrum conuenienter assignentur quinque genera potentiarum animæ, tres potentia vegetatiua, quinque sensus exteriores, ac quatuor interiores?

S. Thom. quæst. 78. art. 1. 2. 3.

1. Quæstione 78. descendit Sanctus Thomas ad agendum de potentijs animæ in particulari: & articulo primò quærit, vtrum conuenienter assignentur quinque genera potentiarum, tria genera animarum, & quatuor gradus animatorum?

Respondet affirmatiuè ex Aristotele 2. de anima tex. 27. Tria igitur genera animarum sunt anima purè vegetatiua plantarum, anima sensitiva, sed non intellectiva, brutorum animalium, & anima intellectiva, hominum. Quinque genera potentiarum sunt, vegetatiuum, sensitiuum, intellectiuum, appetitiuum, & loco motiuum. Quatuor gradus animatorum sunt plantæ, quæ habent solas potentias vegetatiuas; zoophyta, quæ habent potentias vegetatiuas, sensitivas, & appetitiuas, sed non secundum locum motiuas, neque intellectiuas; animalia perfecta, quæ habent potentias vegetatiuas, sensitivas, appetitiuas, & secundum locum motiuas, non autem intellectiuas; & homo, qui habet omnia quinque allata genera potentiarum. Doctrina huius articuli explicata est a me quæstione 5. de Anima, ideoque nihil est addendum.

2. Articulo secundo quærit, vtrum conuenienter potentia, seu partes vegetatiua assignentur nutritiuum, augmentatiuum, & generatiuum.

Respondet affirmatiuè ex Aristotele 2. de anima tex. 34. 45. & 47. ac doctrinam huius articuli explicauit quæst. 12. de anima.

3. Articulo tertio quærit, vtrum conuenienter distinguantur quinque sensus exteriores?

Respondet affirmatiuè, ac doctrinam huius articuli explicauit quæst. 19. de anima.

4. Articulo quarto quærit, vtrum præter quinque sensus internos, dentur in animalibus interiores potentia sensitiva?

Respondet affirmatiuè, & assignat quatuor potentias sensitivas interiores. Prima, est sensus communis, qui mouetur à sensibilibus omnium sensuum, & ab eorum sensationibus solum ad præsentiam talium sensibilibus. Secunda est imaginatio, quæ mouetur à sensibilibus per phantasmata conseruata etiam in absentia sensibilibus, eo pacto, quo animalia mouentur ad quærendum cibum absentem non sensatum, ac præsentem, sed

PPPP 2 ima,